

tur: pituitosa & melancholica, longior: *ειδικῶς* v. & ac-  
curare magis ex totius morbi temporibus deprehendi-  
tur, ita quidem, ut si citò transmittat principium & au-  
gmentum, brevem: si tardius, longiorem futuram con-  
jiciendum sit. i. aph. Com. 12.

24. Ceterum noscuntur isthac ejus tempora *ex*  
*coctione aut cruditate eorum que expectorantur.* Etenim  
quando aut nullum apparet sputum, aut paucum insu-  
per & crudum, *principium* morbi est; si apparet qui-  
dem, at crassius paulo ac magis coctum, *augmentum* in-  
dicatur, præsertim si, præter symptomata *ταρσογνωμονικὰ*  
intensiora, supercedant etiam alia accidentia, ut si-  
tis, vigiliae, nausea & cætera id genus *ὢπιφαινόμενα*  
dicta.

25. Quod si y. sputa copiosa & concocta jam  
prodeant, facileque educantur. i. de cris. c. 18. *tum status*  
*est*, quem itidem delirio superveniente notari vult Ga-  
len. 3. de loc. aff. c. ult. quod tamen de prima parte status  
seu fine augmenti inaudiendum.

26. *Quæ mortem atque exitium præfigiunt à*  
Gal. lib. de tot. morb. temp. c. 6. uti & ab Hipp. 2. progn.  
T. 43. & seqq. proponuntur, capiunturque potissimum  
*asputo* vel non apparente, vel livido, nigro, admodum  
spumoso, fœrido, glutinoso, rotundo, albo, bilioſo im-  
permixto, excretu difficulti: *deinde ex Symptomatis pa-*  
*thognomonicis maximè auctis, præcipue ex pulsu duro*  
*parvo & frequenti.* 4. de præfig. ex puls. c. 5. *deniq; etiam*  
*ex ὢπιφαινόμενα malignis, delirio, sc. vehementi vigi-*  
*liis, vomitu, inappetentia & alui fluxu, quem Hipp. 6.*  
*aph. 16. lethalem pronunciat, sive quod indicium sit, e-*  
*patis simul cum ipsa pleura inflammati, juxta Gal. in-*  
*Comm. sive quod non prægressis coctionis indicis, ex-*

B

cre.